



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

De non iudicandis Prælatiſ. Cap. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

quaris, si coram illis nihil frivolum, aut levitatem praeferens dicas aut facias, si absentes honorifice nominas. Et si quidem nobiles saeculares nunquam iudices aut senatores suos nisi reuerenter nominant, & ad proprium suum honorem pertinere iudicant, eos magnificare, & coram illis reuerenter se gerere. Quanto magis religiosus putare debet ad sui honorem spectare, si Praelatos suos veneretur, quos Christi loco habet, & in quibus ipsum Christum agnoscit?

De obedientia ad Praelatos.

CAPVT X.

SEMPER Praelatis obedias, & non solum opere, sed & voluntate, ac iudicio illis te subiicias, quoties nihil Dei praecipitis contrarium iniungunt. Obedientia iter est securum in caelum, quam qui negligit, aut minus diligenter suscipit, ipse se decipit. Cura ut omnia, quae feceris non tantum communia, verum & specialia quoque virtutis obsequia, Praelatus sciat, probet, & facienda praescribat. Sic tinea propriae voluntatis excuties, sic operibus tuis non medio cretae decorum adicias, sic mille aduersarii decipulas & dolos euades. Quidquid Praelatus, aut expressè non dictauit, aut si scierit, gratum non haberet, tanquam germen propriae voluntatis suspectum habe. Iam alienus es, eius scilicet, qui factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter te crucifixus est. Ipse te per Praelatos regit, & vult, in his quae ipsi praeeperint, aut gratum habuerint, à te ipso seruari. Non tibi cedit in bonum, si te ipsum regas, & ab eius voluntate per superiores demonstrata disiungas.

De oratione pro Praelatis.

CAPVT XI.

PRAELATOS non tantum opere per obedientiam, sed etiam oratione iuabis. Nam quis non pro suo capite assidue oret, praecipue si illud videat in magno discrimine constitutum? Praelati autem capita nostra sunt, quae non solum coronae spinetae curarum cingunt, sed & non modica reddenda rationis pro animabus nostris pericula circumsepunt. Ora ergo Dominum pro illis, ut vitam, & salutem corporis habeant, oneraque gubernationis sustineant: ut lux caelestis ipsis affulgeat, qua in omnibus Dei voluntatem intelligant: ut suauitatem & efficacitatem accipiant, quibus optime subditos sibi commissos regant. Nam hoc est praecipuum Pauli, cum ait: Obsecro primum orationes fieri pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt.]

i. Timot. 2. 1. 2.

De sustinentia Praelatorum.

CAPVT XII.

POTEST euenire ut tibi Praelatus immisericors, aut saltem durus, & insuauis obtingat, qui subditorum infirmitatibus compati nesciat, qui defectus corrigere in lenitate spiritus nolit, & qui erga eos qui sibi commissi sunt, non cor patris, sed seueri iudicis induat. Aliquando enim superiorum electores errant, aut Praelatio animum

A mutat, aut natura aliquorum ferrea, licet auxilio gratiae & virtutis adiuta, nunquam se ex toto ad debitam lenitatem, (quae Praelatis est maxime necessaria) reuocat. Hunc ergo Praelatum tu, o vir Dei, patienter sustinebis, & tua patientia eius duritiam vinces, ut magnum ex sustinentia illius, qui te sustinere debuit, lucrum reportes. Considera quid mundani in curiis principum commorantes ferant, quomodo se pro temporali emolumento ingenio domini superbi & insani, & nunquam sibi neque in minimo imperantis, accommodant. Et pro amore regni caelestis tu tantillum saltem patere, & nonnullam suauitatem Praelati tui aequanimiter sustine. Forsitan tepiditas tua tanta est, ut non patre, sed trierarcho indigeas, & si Praelatum piuum, & discretum haberes, in amore virtutis, non cresceres. Cor itaque tuum quibus poteris modis ad amorem huiusmodi Praelati coge, teque ipsum ad orandum pro illo, & multo magis ad bene semper loquendum de illo, compelle. Et te morigerum praebes, & prompta obedientia & assiduis obsequiis ad lenitatem incitabis, sicque ex ingenio eius ferreo, tu virtutem ferream, id est fortem, & mala tolerare scientem, consequeris.

De dissimulandis defectibus Praelatorum.

CAPVT XIII.

NON detegas defectus Praelati, neque illos exaggeres, sed potius eos benigne & prudenter dissimula, ut apud Dominum veritatem & misericordiam tuorum errorum consequaris. Praelatus, homo est, non Angelus: non igitur facias miraculum aut portento simile, si aliquos in se defectus necdum emendauerit. Ipse patienter sustinet plurimos defectus omnium subditorum, quid multum si omnes illi pauculos defectus Praelati sustineant? Et si patris, qui te carnaliter genuit, culpas ac defectus celas, cur non potiori ratione patris spiritualis defectus abscondes? Ad ergo Ecclesiasticum super hac re te ipsum admonentem: In omni opere & sermone, & patientia honora, (id est, sustine, patrem tuum, ut superueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in nouissimo maneat.) Et rursus: Ne gloriaris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria, eius confusio; gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore.]

Ecd. 3. 9.

Ibid. 12. 13.

De non iudicandis Praelatis.

CAPVT XIV.

PRAELATOS tuos & ipsorum acta non iudices, siquidem rationes, quibus ad aliquid agendum, aut praecipendum, aut prohibendum mouentur, non agnoscis. Crede mihi, frater, non cogitationes Praelati cogitationes tuae, nec viae illius viae tuae. Immo non semel sicut exaltantur caeli à terra, ita exaltantur cogitationes eius à cogitationibus tuis, & viae eius à viis tuis. In te ipsum & tua commoda cogitas, ille disciplinam religiosam promouere cogitat: tu tantum terrena curas, ille verò te à terra euellere ac separare, & in caelum inuhere curat. Ideò videtur tibi scrupulosus & durus exactor, quia à te exigat spirituales vitam & disciplinae custodiam, tanquam ille qui pro te & omnibus subiectis suis est Deo rationem red-

diturus,

De Praelatis
Tom. I

diturus. Munus iudicandi, munus Dei est, munus est maiorum, quibus ille facultatem gubernandi commisit: si tu nec Deus es, nec Prælo tuo præpositus es, quomodo audes illum iudicare, & falcem in alienam messem mittere? Te ipsum potius iudica & reprehende, quod saluberrimum est, & à iudiciis aliorum, præsertim maiorum, abstine, quod frangere periculosissimum est.

De affectu filij erga religionem.

CAPVT XVII.

A **E**c erga Prælatos: at erga religionem seipsem quoque custodies. Religiosam familiam, ad quam à Domino vocatus es, ut piissimam matrem diligas. Id sanè virtus gratitudinis exigit, & profectus tuus, ac ipsius religionis conseruatio requirit. Deo te ad vitam religiosam vocanti, & in ea te custodienti, gratus existas necesse est, ne vtingratus (quod abominabile & pessimum est vitium,) aut tanto dono spolieris, aut illo sine spiritus emolumento fruaris. Gratus autem eris, si hoc extremum beneficium agnoscas, & in magno pretio habeas. Habebis autem, si religionem tuam esse matrem aspicias, quæ te in vtero tyrocinij concepit, in professione parturuit, lacte doctrinae nutriuit, pane virtutum refecit, in statu honoris constituit, & æternam hereditatem præparauit. Sic etiam mirum in modum proficies, quia dilectio & affectus iste faciet, ut religiosam disciplinam non molestam, sed gratam, non grauem, sed suauem existimes, eique te diligenter accommodes. Sic tandem religio per te suum decorem & splendorem non perdet: nam & filij affectus à te postulat, ut puritati status tui consulas, & nihil regulæ contrarium admittas. Ne putas autem (ut quidam stultè cogitant) hunc filij affectum exigere, ut tuam religionem immoderatè laudes, ut eam insipienter aliis præferas, ut in publicis consensibus ad primas sedes aspireas. Hæc ridicula sunt, quæ stulti faciunt. Sed id exigit affectus filij, ut in omniloco bonum exemplum præbeas, ut tui status circumspectionem necessariam custodias, & per humilitatem omnibus te submittas.

De custodia Regula.

CAPVT XVI.

Vnc ergo affectum filij habebis, si sex alia, quæ subiungam, obseruaueris. Esto igitur custos regulæ & instituti tui, quoniam ista te custodient, & matrem tuam venerabilem, scilicet Sanctam religionem, indicibili exultatione afficient. Mater gaudet, si filios suos valere, & opibus abundare, & apud aliquem Principem in honorabilissimo loco haberi sciat. Regulæ autem custodia salus est animæ, diuitiæ custodientis, & familiaritatem parat apud Deum obseruantibus illam. Matrem ergo lætitia perfundis, cum regulam, ac maiorum scita custodis. Hæc obseruantia te perfectum faciet, te filium honorabilem religionis, & dilectum constituet, te fratribus amabilem, & Dæmonibus terribilem, & Angelis similem reddet. Quia sicut illorum gloria est Deo parere, ita & tu gloriam existimabis, Deo in his quæ per religiosum institutum statuit, obedire.

De bono nomine religionis quaerendo.

CAPVT XVII.

Bonum religionis nomen tibi quaerendum est, ut qui tot ab ea beneficia recipis, saltem in hoc eadem proficius existas. Ita autem hoc bonum nomen, bonamque opinionem in cordibus aliorum seres: si nihil, præsertim coram sæcularibus, indecens indecorumque facias, vel loquaris. Si cum illis agas quantum necessitas, aut prudens charitas postulaerit, & nihil amplius. Si eis quæ domi sunt, nequaquam detexeris, præcipue si minimum quid (ut fieri posset) discordia, aut minoris submissionis contigisset. Si eos intra claustra cœnobij, aut multo minus intra cellam non admiseris. Si te libenter semper vixisse, & adhuc viuere sub disciplina religiosa, pronunciaueris. Si erga Dominum, qui te vocauit, animum gratum ostenderis. Ac tandem si sæculares in te (quantum fieri possit) virum spiritualem & religiosum videant, & nunquam hominem, id est, te affectibus seruientem, aspiciant. Hæc generaliter sunt, quæ apud alios bonum nomen religionis gignunt & seruant.

De onere religiosa disciplina ferendo.

CAPVT XVIII.

Religiosa disciplina ferendis suauis & dulcis est super mel & fauè, sed tepidis solet esse amara & onerosa. Non quia ipsa per se aliquid molestiæ contineat, sed quod animus ægrotus palatum cordis prauis affectibus infectum habeat. Tu si aliquando tentatione pulsatus molestiam in custodienda disciplina senseris, eam à te abicere ac remouere curato: sicque animam tuam ad disciplinam seruandam & onus ferendum, incitabis. Nemo in republica est, qui non molestiam aliquam patiat: pauper mendicitate premitur, diues spinis diuitiarum compungitur, ignobiles, vectigalibus & tributis, nobiles bellorum periculis, & duris Principum obsequiis onerantur. Qui aliquid cupiunt, (& quis est in sæculo, qui vana non cupiat?) ex desideratorum absentia dolorem sentiunt. Nullum est munus in hac vita, quod molestiam annexam non habeat, & quo maius est, eo duriori labori subiicitur. Si ergo homines propter bona peritura tot molestias & afflictiones sustinent: satis delicatus eris tu, si propter regnum cœlorum paruam molestiam tuo statui adiunctam non feras. Equanimiter igitur eam sustineto, & pro ea fugienda nunquam disciplinam deseras: quia quanto magis laboraueris, tanto in cœlo maiori præmio perfrueris. Et disciplina ipso vsu dulcescit, & omnis molestiæ expers efficitur: qui verò se non vincit, & propter modicam difficultatem, obseruantiam fugit, maiori quotidie molestia tristatur.

De religiosis functionibus ritè præstandis.

CAPVT XIX.

EA, quæ ad religiosam vitam pertinent, cuiusmodi sunt oratio, psalmodia, lectio, meditatio, Missæ celebratio aut auditio, Sacra-